

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

In festo die Simonis & Judæ.

Evangelium, Ioh. 15. v. 17. -- 21.

EXORDIUM.

CUm Patriarcha Abraham, & Patruelis ejus Loth, in una regione cohabitarent, & rixa fieret inter Pastores gregum, quia uterque dives erat in possessione pecorum, valde id displicuit Abrahamo, ideoque dixit ad Loth: Ne quaeso, sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. *Ecce! universa terra coram te est, recede à me, obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, Gen. 13. v. 8.*

Hoc egregium exemplum est, quomodo concordia studere, & potius cedere, quam rixis rem agere debeamus. Ecce, quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum, Psal. 133. v. 1. 3.

Idque pii Veteres docere nos voluerunt, quod hodiernum Evangelium in diem Simonis & Judæ, qui fratres fuisse censentur, ordinarunt. Quia æternus Dei filius discipulos suos in eo ad caritatem Christianam hortatur, & valedicens *testamentum pacis iis ordinat*: ut adversus mundum & infernum uniti, quo plus diabolus sæviret, eo magis eidem se opponerent. Nam si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei: funiculus triplex difficile rumpitur, Eccles. 4. v. 12.

Præcipue vero hic commonemur, quod licet in Apostolico Collegio, *impius Judas & Apostata sit*, qui mercede injustitiæ conductus, à Christo deficit, eumque prodit:

adhuc ex adverso *pious aliquis Judas* invenitur, cui Christi doctrina & gloria potior est, quam omnes thesauri & divitiæ universi mundi: Ita Servator semper aliquos Lebbæos & Thaddæos in mundo habebit, qui nomen ejus diligant, laudent & celebrent, licet aliqui cum Juda deficiant, & diabolo se mancipent, si & ex lapidibus illi fuscitandi essent, Luc. 11. 8.

Nos absque ulteriori præloquio ad ipsam Evangelii tractationem pergemus, tractaturi ex eodem:

I. *Ἀρθρολογίαν* sive *notitiam nostri.*

II. *Ἐξηγησίαν*, sive *notitiam Christi.*

J.J.

Exegetis.

Quemadmodum inter duos hosce Apostolos, quorum memoria hodie celebratur, Simon præcedit, Judas vero sequitur: ita & nos omnes seduli Simones ante simus, verbumque Dei audiamus oportet, si Christum recte agnoscere, & ut nomen Judæ indicat, ore & animo imperterrito coram mundo confiteri velimus. Sicut & Christus hoc præfigurare voluit, quod muto & furdo, prius aurem aperuerit, & deinde linguam solverit, ut indicaret, quod audire & loqui se invicem consequi debeant. Credidit enim, propter quod locutus sum, ait David, Psal. 116. v. 10.

Hhhh

A 17